c mat. Vuæ quæ albæ sunt, magis subducunt aluum quàm nigræ. Omnes uero ciborum appetentiã excitant, & uenerem. Conuenit cum eduntur membranã & nucleos expuere, quod difficulter cõficiantur. Quæ immaturæ sunt, uentrem sistunt, & stomacho bonæ. Caliditatem à flaua bile ortam sedant. Minus uero nutriunt. Oportet autem nõ solum uuas, sed etiam omnes fructus molli cortice prẽditos humidos, ante reliquos cibos apponere.

DE ACONITO. CAP. XXX.

NOMINA.

Aconitum cur dictum.

ACONITON Græcis, Aconitum Latinis dicitur. Sic autem Theophrasto lib. ix. de Plantarũ historia teste, non ἀπὸ τῶν ἀκονῶν, id est, à cautibus, sed ab Aronis Periandynorũ pago, ad Heracliam Ponti sito, uocatum est. Alij quod uis eadem in mortem esset, quæ cotibus ad ferri aciem detrahendam, statimq; admota uelocitas sentiretur. Sunt qui aliam ob causam, quam referre minimè necessarium duco, sic nominatum fuisse existiment.

GENERA.

Pardalianches. *Scorpium.* *Vua uersa.* *Lycoctonon.* *Luparia.*

Duo Aconiti sunt genera: unum Græcis Pardalianches dictum, quod pardi eo necentur. Vocatur etiam Scorpium, quod radicẽ Scorpioni similem habeat. Vulgus herbariorũ Vuam uersam, & uulpinã, Germani Wolffsbeer / & Dolwurtz nominant. Alterum Lycoctonon Græcis dicitur, quoniam deuoratum lupos confestim interficit. Vulgus Lupariam, Germani Wolffswurtz appellant.

FORMA.

Pardalianches descriptio.

Pardalianches folia habet tria aut quatuor Cyclamino uel syluestri Cucumeri similia, minora tamẽ, & subaspera. Caulem dodrantalem. Radicem scorpionis caudæ similem, alabastri modo nitentem. Ex hac descriptione omnibus liquidò apparet, herbam eam quam Vuam uersam aliqui nominant, cuiusq; hic picturam exhibemus, primum esse Aconiti genus: habet enim tria aut quatuor folia, eaq; Cyclamini specie. Caulem palmi altitudine, & radicem incuruam, scorpionum caudæ similem, alabastriq; modo splendentẽ. Quibus etiam accedit quod manuscriptus & uetustissimus herbarius planissimè eam herbã quam hic damus pro Aconito pingat. Germanica etiam nomenclatura satis indicat hanc herbam ob suam facultatẽ perni
Lycoctonon. cosam esse Aconiti speciem. Lycoctonon Platani folia habet, magis tamen incisa, diuisáue, longiora & nigriora. Caulem ueluti Filix, cubiti altitudine, aut maiorẽ: pediculum glabrum. Semen in siliquis aliquatenus longis. Radices cirris marinarum
Luparia. squillarum similes, nigras. Vnde iterum constat Lupariam uulgò appellatam, esse alteram Aconiti speciẽ: ea enim folia Platani, quæ Cici aut Vitis foliis similia sunt, multas habentia diuisuras, obtinet. Caulem Filici similem, pediculũ glabrum. Florem oblongum, luteum, post quem longæ proueniunt siliquæ, in quibus est semen. Radices etiam nigras, ut nemo subinde quin uerum sit Aconitum dubitare possit.

LOCVS.

Primum Aconiti genus passim in nemoribus & collibus quibusdam nascitur: alterum autem in montium uallibus altissimis. Magna autem illius copia est circa montem haud ultra unum lapidem à Tubinga situm, quem Germanica uoce Farrenberg nominant.

TEMPVS.

Aconiti primum genus Maio mense potissimum erumpit. Alterum autem æstate, Iunio & Iulio mensibus floret.

TEMPERAMENTVM.

Erosione & putrefactione enecant Aconita, ideo toto genere letalia sunt.

VIRES

ACONITVM
PARDALIANCHES